



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Institutiones Canonicæ Sive Ius Ecclesiasticvm**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1706**

Articvlvs II. De Regulis Juris Libri V. Decretalium Gregorij IX.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62649](#)

*dem K uor. mō. sic etiam iegans omnem  
penum, prater vinum, quod Romæ ha-  
bet, solam penum, quæ Romæ est, le-  
gasse videtur, l. Nam quod & §. 6. cit.*

**15.** Secundum Exceptio firmat Regu-  
lam in contrarium in casibus non exceptis,  
*l. Quæsumit & V. Denique cit. & l. Ex-  
eo 18. ff. de Test. cùm; quia speciem ali-  
quam sub genere contentam excipiens de  
cæteris sub eodem contentis cogitâsse vi-  
detur, de iisque contrarium tentire, l.  
Cum Prator cit. pr. tum verò; quia ver-  
ba Regulae, cùm generalia sint, omnes  
casus, quos significant & non excipiunt, sub  
dispositione comprehendunt, cit. Dynus  
n. 12. & Tusculus Concl. cit. Nisi casus  
exceptis omnino similes, vel aliunde ex-  
presa vel tacite sint excepti; aut ex alii-  
qua ratione verisimile non sit, disponen-  
tem de iis idem, quod de aliis sensisse:  
vel demum correc̄tio Juris aut aliquod  
abſurdum sequatur.*

**16.** Tertiū, Exceptio non ampliat Re-  
gulam, hoc est, non facit, ut ejus di-  
positio comprehendat aliquā, quæ, ex-  
ceptione non facta, Regula verba ex pro-  
prietate sermonis non comprehendissent.  
Ratio aperta est; quia exceptio ex natu-  
ra sua Regula detrahit, non addit: ab  
ea aliquid eximit, non includit aliquid,  
quod illa exceptione cessante, non inclu-  
sisset, cit. Decius n. 23. & Tusculus Con-  
clus. cit. n. 4.

### ARTICULUS II.

#### De Regulis Juris in Decretalibus Antiquis.

##### REGULA I.

*Omnis res, per quas causas na-  
scitur, per easdem dissolvitur.*

##### S U M M A R I U M.

1. *Restringenda hæc Regula est ad obli-  
gationes.*
2. *Ejus sensus.*
3. *Non procedit in obligationibus spi-  
ritualibus,*
4. *Et descendantibus ex delicto.*
5. *In aliis etiam necessaria non est.*

**R**egula hæc ad verbum refertur *l.*  
*§. Omnis, post can. Beata, 27.  
q. 2. eique concordat Regula  
35. in Pandectis*, cujus tenor  
est, *Nibil tam Naturale est, quam eo-  
dem genere quodque dissolvere, quo col-  
ligatum est: cui subiicitur, Ideo verbo-  
rum obligatio verbis tollitur: nudi con-  
sensus obligatio contrario dissentit disso-  
luitur.* Quæ exempla Regulam nostram  
non paucis difficultatibus expediunt, dum  
ejus generalitatem ad obligationes, nec  
immetit, restringunt; cùm in rebus  
natura & arte factis aperte non procedat;  
igne enim produci ignem, non eti-  
am extingui: lanam eò modò, quò ru-  
bra evasit, albam non reddi, experien-  
tiā doceamus.

Magis, nec malè, Regulam coar-  
tant Glossa *V. Omnis*, & Panormit, pr.  
*& n. 2. eam ad obligationes solum tem-  
porales reducent;* ut ejus

*Sensus sit, Omnis res, id est, o. 2.  
modus obligatio seu contritus temporalis  
ac civilis per quasunque causas, sive  
media & modus, contrahitur aut induci-  
tur, per eosdem dissolvitur; cùm fetè  
quibusunque modis obligamur, iisdem  
in contrarium actis liberemur, ex feni-  
tentia Pauli ICT: & Regula 153. in Pan-  
dectis; sic enim empio vendito mutuo  
consensu perficitur & dissolvitur ante tra-  
ditionem: & post hanc factam, acceden-  
te mutuo consensu, contrariâ rei & pre-  
tii tede-*

tti redditione, l. Prout 80. ff. de Solut.

¶ §. fin. Inſtit. Quibus mod. toll. oblig.

Sic stipulatio tollitur per stipulationem,

& pactum prius abrogatur posteriori, l.

Si unus 27. §. 2. ff. de Patis: non qui-

dem hoc, sicut illa, ipsò Jure, sed ope

exceptionis sive replicationis. Ratio est;

quod stipulatio fomentum & vim à Jure

Civili habeat; ut præcedentem obliga-

tionem ipsò Jure perimat: non etiam pa-

cio nuda, per tradita à Bruneman. in l.

Si unus cit. n. 4. ¶ supra Lib. 1. tit. 35.

à n. 16. Sic obligatio legalis, legislatoris

præcipient vel prohibent voluntate le-

gitime promulgata, inducitur, eadémque

revocatur, arg. c. Alma 24. pr. de Sent.

excom. in b. Simili ferè modo testamentum

solemne per aliud solemne revocatur,

l. Hac consuſſima 21. C. de Testament.

Pluribus exemplis Regulam hanc illu-

ſtant Streinius & Gonzalez Uterque n. 2.

3. Eam autem ad obligationem tem-

poralem reducunt ratio est; quia, in spi-

ritualibus Regulam nostram non proce-

dere, exploratum est; cum non solum in

Baptismo & Ordine; quod hæc Sacra-

menta fœmel ſulcepta, ſicut non iterantur,

sic nunquam amittantur, Glosa V.

Omnis cit. fed etiam in matrimonio ei-

locus non sit; quia hoc mutuō consensu,

quod contrahitum est, non diſſolvitur; quod

temper Sacramentum vel ſignum fit rei

ſacræ & spiritualis, ſelicitet coniunctio-

nis Christi cum Ecclesia, per afflumptionem

carnis humanae, ſi per carnalem co-

pulam conſummatum, c. Debitum 5. de Bi-

gamis & c. Unico de voto in b. Si vero ratu

duntaxat fit, unionis inter Deum & ani-

amam iustum per gratiam & charitatem,

c. Debitum cit. Ratio discriminis inter

spiritualia & temporalia est; quod ista

facilius deſtruantur, quam conſtituantur;

illa facilius conſtituantur, quam deſtru-

antur, c. Inter corporalia 2. de Trans-

lat. Epis.

Eandem etiam ad Civilem obliga-

tionem referendi ratio est; quod obliga-

tio descendens ex delicto non tollatur fa-

cto contrariò: ſed depenſione ſive perfo-

lutione poenæ, pactione vel diſſimulatio-

ne adēd; ut reus neque reſtitutione libe-

retur, l. Qui ea 65. ff. de Furtis & l.

Non prodeſt 5. ff. Vi bonor. rapt.

Illud etiam probè notandum eſt cum

Glossa in Reg. cit. haſtenus declaratā Re-

gula non negari obligationes aliis, quam

quibus induc̄tæ ſunt, modis diſſolvi po-

le, ut proximè cit. Regulā Civili inſinua-

tur; ſic enim contrahitus & obligations

aliquæ morte, reali ſolutione & com-

penſatione tolluntur: licet iſta non inter-

venerint in eorū constitutione. Sic etiam

poſſeffio, quam corpoſe ſimul & animo

adipisciunt, l. Poſſideri 3. §. 1. folō a-

animō amitti poſteſt, l. cit. §. 6. ff. de Ad-

quir. poſſeff. Frequentior tamen & ma-

gis naturalis diſſolvi modus eſt, qui

conſtituendi fuit, Reg. Nihil cit.

Deinde præ oculi habenda eſt alte-

ra & præſenti respondens Regula Civilis,

Ferè quibusunque modis obligamur, iis-

dem in contrarium actis liberamur; par-

ticula enim Ferè ſatis indicat, id Regu-

la re duntaxat, non perpetuum eſſe: &

ſicut hanc, ſic noſtram quoque Regulam

exaudiendam de obligationibus & con-

tractibus, lege vel natura ſua non ex-

ceptis.

## REGULA II.

*Facta, que dubium eſt, quo*

*animō fiant, in meliorem partem*

*interpretamur.*

## SUMMARIUM.

1. *Quod ſaltum hominis dubium.*

2. *Sensu*

2. *Sensus & ratio Regula,*
3. *Neque providam rerum suarum eu-  
flodiam,*
4. *Neque finis rūm de actu malo judi-  
cium excludentia:*
5. *In dubio benignitatem generaliter  
commendantis.*

**I.** **D**ubium hōc locō habetur factū  
sive actio hominis, cuius ho-  
nestas, & inhonestas anceps est,  
ob defectum certa aut veri-  
similis rationis, seu motivi in alteram par-  
tem nos determinantis; cūm, si judi-  
cium de eo nostrum evidenti, infallibili,  
aut verisimili seu probabili ratione in al-  
teram partem determinaretur, scientiam  
eīve aequivalentem certitudinem, vel fal-  
tem opinionem haberemus, Streinius ad  
hanc Reg. n. 1. Quare

2. *Propositæ Regulæ sensus est, Quan-  
do actiones ita indifferentes apparent, ut  
an animo & intentione bona malave pos-  
se sint, modò explicatò dubium sit, in  
meliore partem eas interpretari, ani-  
mōque bono & relatiā potius quam sequio-  
ri aliquā intentione exercitas, judicare  
debemus, juxta illud Servatoris, Nolite  
judicare (temerē & sine verisimili fal-  
tem ratione) & non condemnabimini: no-  
te condemnare, & non condemnabimini;*  
*Matth. cap. 7. v. 1. & Luca cap. 7. v.  
37. Ratio est; quia lex Charitatis pro-  
ximi dicit, quemlibet innocentem bo-  
numque habendum; donec, verisimili fal-  
tem indicio, malus esse demonstretur,*  
*c. Unic. de Scrutinio, c. fin. de Presumpt.  
& l. Merito s. ff. Pro socio; cum enim  
homo naturā sua bonus sit, & bonita-  
tem atque innocentiam actu aliquo exuis-  
se non presumatur, jus ad famam & exi-  
stimationem bonam habet, donec alicu-  
ius criminis reus appareat, vel probetur,*  
*S. Thomas 2.2. q. 60. art. 3. & Laiman.*

**Lib. & tratt. 3. p. 2. cap. 2.**

Regula tamen & ratio hēc non ob- 3;  
stant vel impediunt, quō minus ignotos,  
& præfertim peregrinos homines ad se  
venturos hospitiō recepturus, cubiculis  
cītisque probē obseratis, pecuniam aliās-  
que res suas collocet in tuto; cūm cau-  
tela hēc rerum suarum amore, earūmque  
conserverandarū studiō fieri queat ac fo-  
leat, quin ejusmodi homines furaces aut  
mali temerē judicentur, aut de ipsis si-  
nistra aliquā suspicio concipiatur, c. i.  
Laiman, n. 6.

Neque istius Regulæ vigore cleri- 4,  
cus mulierem amplectens, id huic bene-  
dicendi potius, quam alio animō fecisse est  
exigitandus, ut voluit Glossa in can.  
*Absit 1.4. V. Sinistrum, I. 1. q. 3. cūm; quia  
hoc novum & in Ecclesiā inusitatum be-  
nedicendi est genus: tum verò; quia Re-  
gula nostra procedit de solis actibus se-  
cundum speciem externam indifferen-  
tibus: ejusmodi amplexus foeminae in  
clericō non est; cūm, si non, ut solet, actus  
sit libidinis aut levitatis, illius tamen pe-  
nile & fidelium scandalum afferat;  
ut, sicut si furem, adulterum, blasphem-  
um, ebriosum: sic quodammodo etiam,  
si talēm clericū male agere quis judicet,  
id non faciat temerē, neque in præsen-  
tem Regulam delinquit; cūm in malefi-  
ciis animus bonus non præsumatur, c. 1.  
de Presumpt. juxta illud Christi, *Ex fru-  
tilibus, five operibus eorum cognoscetis eos,*  
*Matth. cap. 7. v. 20.**

Quemadmodum in dubio actionem 5.  
hominis quoad externam speciem indiffe-  
rentem benignè, sic privilegium, testa-  
mentum, contractum &c. ita interpre-  
tari oportet, ut potius valeant, quam pe-  
reant, l. Quotiens 1.2. ff. de Reb. credit.  
ut ad Rubric. præced. n. 26. est dictum.  
Simili modō in odiosis & onerosis  
vg. in infigendis poenis in dubio mitiorem  
ac beni-

at benignam patrem interpretatione reo favorabili amplectimur, vigore Reg. Odia 15, in 6. & huic consonantum ejusdem Libri Regularum 30. & 40, quarum illâ; ut in obscuris minimû; sequamur: illâ; ut in paenitibus benigniorem interpretationem amplectamur, admonemur, Glos- ta bts V, Meliorem, & Panormit, n. 7.

## REGULA III.

Vtilius Scandalum nasci per- mittitur, quam Veritas relin- quatur.

## SUMMARIUM.

1. Scandalum aliud Activum est, aliud Passivum:
2. Et hoc Pharisaicum vel Pusillorum.
3. Veritas alta Vita & alia Justitia est vel Disciplina.
4. De quarum primâ Regula procedit.
5. Illicium semper est scandalum Acti- vum,
6. Etsi peccato alieno aliquando licet quis cooperetur.
7. Scandalum Passivum aliquando lici- se permittitur:
8. Sepe tamen bona actionis omissione evitandum est.

I. **S**candalum generatum dicitur Opera-  
tio, quâ proximo spiritualis ruina  
occaſio præbetur: eliquo vel Acti-  
vum, vel columnodo Passivum,  
secundum D. Thomam 2, 2. q. 43. art. 1.  
Activum & propriè dictum scandalum est  
dictum vel factum sive externa operatio  
vel omissione minus recta, hoc est, ex se  
mala & prohibita, vel saltē mali spe-  
cimen referens, & proximo præbeni oc-  
casione spiritualis: cujusmodi

scandalum dat non solum is; qui alterum iussu, consilio, suatione &c. ad pecca-  
tum inducit: sed is etiam, qui coram altero exercet vel omittit actionem, qua-  
e eisve omissione suâ naturâ peccati occasio-  
nem præbere potest: ut, si quis coram in-  
nocentibus impuros sermones misceat,  
die Festo & ab Ecclesia præcepto omittat  
auditionem Missæ sacrificii, vel die in-  
terdiœto coram aliis comedat carnes,  
quamvis ob occultam causam sit excusa-  
tus. Passivum & merè per accidens scand-  
alum dicitur dari, cùm præter operan-  
tis intentionem, & præter naturam &  
qualitatem operis, ex eo eisve omis-  
sione quis accipit occasionem peccandi.  
Azor p. 1. Inst. lib. 12. cap. 16. q. 1. &  
Laiman. Lib. 2. tract. 3. cap. 13. n. 1.

Passivum hoc, sive non datum, sed  
acceptū, aliquando dicitur & fuit scanda-  
lum Pharisaorū, ex actionibus Apostolo-  
rum, nec mali specie infectis: & ex ipsis  
Christi Domini operibus omni ex parte  
perfectis; ac proinde nullâ justâ causâ,  
sed ex malitia tantum sue passis ruinam  
spiritualē: aliquando Pusillorum est,  
cùm scilicet proximus ex opere bono vel  
indifferentē occasionem ruinæ accipit vel  
ex mera fragilitate, vel ex ignorantia;  
quod illictum existimet aliquid, quod  
nullō Jure vetitum vel omnino laudabile  
est. Ita ad mentem S. Basili in Reg. Brev.  
interrogat. 6. aliorumque DD. Palao  
Tract. & disp. 6. p. 8 .1.

Veritas etiam secundum Gloss. bte 30  
V. Veritas, triplex est. Vita, Justitia,  
Disciplina: quarum prima & ab omni-  
bus custodienda in studio vivendi secun-  
dum rectam rationem & sine peccato:  
altera, judicibus proposita, in judicio-  
rum cum Jure & legibus conformatio-  
nem consistit. Postrema, eaque Prælatorum  
propria, sita est in cura; ut à subditis o-  
mnia debito ordine modique præsen-  
tur, ea-

XXX

tūr, ea-

tur, eaque non præstantium correctione,  
Glossa V. cit.

Harum Veritatum postrema aliquando, quando scilicet ex directione vel saltem correctione subditorum exasperatio aut graviora mala timentur, aliquamdiu prudenter intermititur. Altera quoque, licet custodienda catenus sit; ut infans non condemnetur: &c. quod suum est, contra jus nemini auferatur: aliquando tamen temperari etiam ipsa potest poenæ mitigatione vel condonatione, Sterin ad hanc Reg. n. 1. in fine; ut proinde proposita Regula de prima seu vita veritate & integritate procedat, ejusque

4. Sensus sit, Scandalum permittendum potius, quam actione aliquā peccaminofā vita honestas & integritas deseratur vel minuatur. Quoniam verò scandali evitandi obligationem, aliquando dari, extra omne dubium est, relatae Regulae sensus planior reddendus est usū recurrentium & notabiliorum casuum declaratione.

5. Et primò quidem omni casu illicium est scandalum Activum, quod proximus vel expresse vg. iuslī, consiliō: vel tacite, vg. actionis peccaminosa coaram eo posita pravō exemplō ad peccandum inducitor, cit. Doctor Angelicus q. 64. art. 6. Navarrus Manual. cap. 17. à u. 262. & Suarez in 3. p. tract. 3. disp. 18. s. 1. Quod exploratum omnino est ex verbis Servatoris, *Vt homini illi, per quem scandalum, propriè dictum & Activum, Venit.*, Matth. cap. 18. v. 7. Ratio est; quia repugnat præcepto Juris Naturalis, proximi in peccatum inductionem, tanquam actum Charitatis & Misericordiae virtutibus contrarium, ventantis: quod præceptum cum Negativum sit, semper & pro semper, hoc est, omni casu obligat, ex recepta doctrina sit. Suarez Lib. 2. de LL. cap. 13. n. 1, ut

in Proemio n. 27. est dictum.

Neque scandalum hoc aliquando licet praberi, evincitur ex eo; quod cooperari aliquando licet peccato alieno; sic enim ficerdos Eucharistiam publicè, imò & privatim ministrire potest ac debet ei, quem indignum novit ex sola confessione Sacramentali. Sic fabri & opifices alii sine peccato laborant in reparanda veteri Synagoga Iudaorum & extruendo novo templo hæreticorum, ubi ea à Magistratu legitimè permituntur. Sic conjux debitum licet reddit conjugi, quem Continentia votò obstrictum novit & à proposito nequit avocare &c. Non, inquam, exempla hæc contrarium evincunt, cùm quia etiam Deus ad actiones hominum peccaminosas concurredit, quin peccati author existat: tum verò quia nunquam licet alterius actioni peccaminosa cooperari formaliter cum intentione peccandi: sed materialiter duntaxat, exhibendō objectum vel ministrandō materiam: idque etiam non nisi concurrentibus tribus conditionibus: quarum prima est; ut cooperationis actus in se moraliter bonus aut saltem indifferens sit. Secunda; ut non fiat intendendō peccatum: neque nisi justa vg. necessitatis aut utilitatis causā exposcente vel suadente. Tertia; ut cooperans peccatum, cui materialiter cooperatur, impide non teneatur ex officio, vel saltem hic & nunc non valeat, sed id ex justa causa permettere possit, Laiman, cit. cap. 13. n. 4. & Busenbaum Medulla Lib. 2. tract. 3. cap. 2. art. 3. pr.

Secundò etiam Passivum, non Passivum duntaxat, sed Passorum quoque scandalum permittendum potius est, quām omittatur actio, quæ nec mala est, nec mali speciem habet, si eam non omitti propria vel aliena necessitas aut notabilis utilitas polcat, Reg. cit. D. Thomas 2. 2.

mas 2.1. q. 78. art. 4. Navarr. in can. 1.  
§. Si sacerdos, de Panis. disp. 6. Laiman.  
cit. Lib. 2. trah. 3. cap. 13. n. 1. & alii DD.  
secundum quos, urgente necessitate vel  
notabili utilitate suadente, mutuum ab  
eo, qui usuras exacturus: & Sacra-  
menta peti possunt à parocho concubina-  
rio, qui ea sine prævia peccatorum con-  
fessione & contritione ministraturus non  
ignoratur: licet, iusta ejusmodi causâ non  
subsistente, neutrum licet fiat.

8. Tertiò, quin, merè Passivo Pusil-  
lorum scandalò infuper habitò, ad actionem,  
ejusve omissionem obligamur, quando  
eà propria vel aliena etiam corpora-  
lis salutis detrimentum vel grave damnum  
Reipublicæ impediri posse, rationabiliter  
judicamus, Laiman. l. cit. §. Tertiò,  
ubi ex hac ratione hereticos & malefa-  
ctores alios, spirituali ipsorum ruinâ non  
attentâ, ultimô supplicio affici posse, ob-  
servat. His tamen non obstantibus.

Quaridò, ad cavendum scandalum  
Passivum omitti vel exerceri actio debet,  
quando nec aliena nec propria necessitas  
vel utilitas ad eam nos cogit, Laiman.  
cit. n. 8. Ratio est; quia, cùm tali casu  
sine incommmodo possimus, spirituali pro-  
ximi detrimentum impeditre tenemur,  
Charitatis & Misericordia lege nos obli-  
gante.

Multò tamen major obligatio est  
cavendi scandalum Pusillorum quam Phari-  
saicum; cùm illorum ex ignorantia vel  
infirmitate istorum autem scandalum ex  
perversæ voluntatis malitia accipiatur:  
magis autem condescendendum sit ex in-  
firmitate, ignorantiae, quam ex mera  
malitia spirituali damnum patienti: &  
propterea Christus Dominus, sicut, ve-  
dit, Illi, qui scandalizaverit unum de pu-  
sillis, Matth. cap. 18. v. 7. si exigua  
rationem Pharisaicæ malignitatis haben-  
dam verbo & exempli suo docuerit apud

eundem Evangelistam, Sinité, ceci sunt  
& duces eorum, cap. 15. v. 14. S. Thom-  
as cit. q. 43. art. 7. & 8. Suarez de  
Charitate disp. 10. f. 4. n. 8. & Palao Disp.  
6. cit. p. 16. n. 6.

## REGULA IV.

*Quod non est Licitum in lege;  
Necessitas facit Licitum.*

## SUMMARIUM.

1. Necessitas alia Absoluta, alia Mo-  
ralis:
2. Et bac alia Extrema, alia Gravis,  
vel Communis,
3. Absoluta à pena & culpa semper ex-  
clusa.
4. Moralis nullam actionem Lege Na-  
turali:
5. Positiva autem vetitam, si gravis,  
sape,
6. Non semper licitam reddit & coho-  
nestas:
7. Saltem, si recurri nequeat ad supe-  
riorum.
8. Communis necessitas non excusat.
9. Regula proposita sensu.

**N**ecessitas est Vis quædam, actionem  
ejusve omissionem ita in-  
ducens; ut aliter fieri non pos-  
sit: estque vel Absoluta vel  
Moralis, prout aliquid aliter fieri ne-  
quit vel simpliciter aut saltem naturaliter,  
vel solummodo moraliter, hoc est,  
sine magna difficultate. Posterior hæc  
five Moralis necessitas ulterius trifariam  
dividitur in Extremam, Gravem & Le-  
vem seu communem. Extrema est, cùm  
vitæ vel periculosa infirmitatis: Gravis,  
cùm sine honoris, famæ, fortunarum ma-  
gno periculo: Communis, cùm sine labore  
vel mo-

Y y z

vel mo-

vel molestia, communiter accidere solita, aliquid fieri non potest. Quod de necessitatibus varietate præmisso, quando proposita Regula locus, aut fecus & quis ejus sensus sit, planum erit, si discri-  
men etiam inter Jura statuar.

**¶** Primo enim actionem vel omissionem quounque Jure veritam & illicitam necessitas absolute eatus cohonestat; ut ejus vi aliquid faciens vel omittens ab omni culpa & pena excusat, c. Sacris s. de Iis, que vi metuere caus. S. Thomas 1. 2. q. 6. art. 5. & Azor p. 1. Instit. lib. 1. cap. 9. q. 3. Ratio est; quia talis necessitas voluntarium & liberum tollit: culpa autem seu peccatum usque ad eo voluntarium malum est; ut nullo modo peccatum sit, si voluntarium non sit, ut ait S. Augustinus relatus pr. 15. q. 1. sic enim à culpa & pena excusat fidelis, cuius renuntiis manus vi ab aliquo adhibita moveretur, ut ex ea in subjectum ignem decidens thus incendatur: & legis Ecclesiastica transgressor non est, qui die Festo Sacrum, Confessionem peccatorum annuam & Paschali tempore sacram communionem omittit; quod detineatur carcere, & sacerdotis copiâ detinatur.

**¶** Secundò, actionem illicitam Jure Naturali ulla, etiam extrema, necessitas Moralis cohonestare & licetam reddere non potest, Sylvester V. Necessitas, Vivianus & Wagnereck in Reg. cit. Ratio solida est; quia hōc Jure illicita intrinsecè arque essentialiter mala sunt, nulloque casu bona honestaque evadere possunt; cum essentialiter rerum nequeant mutari; sic enim perjurium & simplex etiam mendacium, tam officiosum quam perniciosum, nulla etiam extrema necessitas cohonestat, can. Mibi 11. can. Ne quis 12. &c. 22. q. 1. Unde duce S. Thoma 2. 2. q. 110. art. 4. & ipso S. Augustino in verba; Perdes amnes, qui loquun-

tur mendacium, Psalm. 5. 9. 7. & Lib. contra Mendacium cap. 17. à TT. vanitatis merito redargitur ac rejecitur Opilio Origenis in Episol. ad Galat. Cassiani Collat. 17. cap. 17. & aliorum afferentium, perinde, ut pharmaco, sic & mendacio subinde boni malique causas uendunt; cum enim mendacium intrinsecè malum sit, in omnibus & omni ca-  
su peccatum erit, iuxta illud, Omne, quod à veritate discordat, iniquitas est, S. Bernard. de Modo bene vivendi Serm. 31. Tertiò, actionem vel omissionem, veritatem lege merè Positivā, Moralis, nec solum extrema, sed gravis quoque necessitas s̄epe, aliquando etiam Divinā legē interdictam, licetam reddit, secundum Reg. cit. & tritum, Necessitas non subiecta legi, c. Quantò 4. de Confessur. sic enim licet panes Propositioni comedit David, 1. Reg. cap. 21. v. 6. & Machabæi cladem ab hostibus imminentem in Sabbatho propulsarunt 1. Machab. cap. 2. v. 38. non obstante lege divina, vetante actionem utramque. Simili modo, humanae legis prohibitione non obstante, licet carnes in Quadragesima comedit æger, & inopiâ laborans tempore famis, c. Consilium 2. de Observat. Jejun. & sa-  
cerdos Missam celebrat in loco prophano, si fidelium ad Divina audienda conflu-  
tum multitudinem Ecclesie angulæ non admittant; quantumvis a carnibus abstinentia & jejunium Quadragesimali tempore fidelibus præceptum, c. Consilium cit. §. fin. & in ejusmodi loco Mil-  
sa celebratio legi Ecclesiastica sit inter-  
dicta can. Sicut 11. & can. Nullus 15. dist.  
1. de Confess. Ratio est; quia legisla-  
tor Divinus, licet ad legum suarum ob-  
servationem cum quovis fortunatum, fa-  
mæ, vitaque periculo obligare absolutè  
valeat, ordinariè tamen humanæ condi-  
tionis imbecillitatique eas solet accommo-  
dare; ut

Sare; ut non obligent, quando sine ejus-  
modi manifesto periculo nequeunt ob-  
servari, S. Thomas 1. 2. q. 100. art. 8.  
Suarez Lib. 3. de LL. cap. 30. n. 6. & Lai-  
man. Lib. 1. tract. 4. cap. 14. n. 6.

**G.** Dixi, Sape & Aliquandoz quia legem  
Positivæ etiam humanam cum rerum, ho-  
noris, ipsiusque vitæ periculo observandi  
obligatio est Imprimis, quando ea pu-  
blicum bonum totius communitatæ alias  
grave discrimen subiturae spectat; sic e-  
nim sigillum Sacramentale violari à Con-  
fessario, à Parochio tempore pestis oves &  
à milite statio deferri non potest, quantum  
vis fractione illâ & istarum desertione  
mortis alias certè imminentis periculum  
valeat evitari. Ratio est; quia bonum  
commune animarum, civitatis & exerciti-  
tus, quod illius & istarum custodia spe-  
ctat, multum præponderat vita, famaque  
& fortuna bonis alijcujus privati, Covar-  
ruias in c. Alma p. 1. §. 3. n. 9. Suarez  
civ. cap. 30. n. 4. & Palao Tract. 3. disp.  
1. p. 16. n. 1. & 2. Deinde, quando le-  
gis Positiva, etiam humanæ, transgressio  
cessura videtur in contemptum ipsius le-  
gis & potestatis legislatricis, vel in detri-  
mentum Fidei & Religionis Christianæ;  
quia tali casu legis transgressio intrinsecè  
mala & vetita est Iure Naturali, potesta-  
tis publicæ & Religionis commune bo-  
num cuivis privato præferendum, dictan-  
te, cit. Suarez n. 7. Laiman n. 6. & Pa-  
lao n. 3. Demum, quando divina lege  
aliquid institutum vel præceptum est tan-  
quam medium simpliciter necessarium ad  
salutem: ut in nova Lege in peccato Ori-  
ginali conceptis Baptismi, & in Actuale  
& lethale relapsis Pœnitentia Sacra-  
menta; cum sine his in re aut voto suscep-  
tis justificari non possint. Unde ad eorum  
susceptionem in Adamo lapsi & postea  
relapsi adstringuntur Iure Naturali, ad  
usum mediorū, ad æternam salutem con-

sequendam simpliciter necessarium;  
quemlibet obligante.

Rectè etiam cum Sylvestro V. cit.  
Sanchez Lib. 3. de Matrim. disp. 10. n.  
23. monet, in externo foro, cum neces-  
itas saltem non extrema à legis obligatio-  
ne excusat, ad superiores recurriri, & a-  
ctionem eâ præceptam omittendi vel pro-  
hibitam ponendi licentiam peti confue-  
visse ac debere; ut legis temerè violata  
suspicio evitetur.

Quarto, à legis etiam humanæ ob-  
servatione necessitate Morali communi  
subditos non excusat, frequenti DD. cal-  
culò receptum & exploratum est; quod,  
si ea excusat, propter casuum quotidie  
occurrentium frequentiam, legales obli-  
gationes pessimò publicò facile eluderent-  
ur. Ex deducitis Expeditus Regulae præ-  
sentis sensus est, Extremâ & gravi neces-  
itate Morali urgente sapè licet & hone-  
stæ sunt actiones & omissiones, que Positi-  
vâ lege humanâ, & aliquando etiam Di-  
vinâ, prohibite sunt.

### REGVLA V.

**Q**uod Latenter aut per Vim vel  
alias Illicitè introductum est,  
nulla debet Stabilitate sub-  
sistere.

### SUMMARIUM.

1. Regule sensus,
2. Exempli actuum Jure irritorum,
3. Et infirmorum declaratur.

**S**imilis huic est Regula, Quæ contra I.  
Iuu sive, utique pro infectis haberi  
debent, quæ est, 64. in 6. infra tra-  
denda.

Hoc loco propositæ sensus est, Id,  
Y y 3 quod do-

quod dolosè in occulto, arbitrio seu testi-  
bus remota, vel adhibita violentia me-  
tive injuriè incusso, vel contra Juris pro-  
hibitionem introductum gestumve est, licet  
quoad culpe istare promittere pena rea-  
sum validum sit, & donec culpa expiatur  
panaque exsolvatur vel remittatur, esse  
perseveret: quoad alios ramen Juris effe-  
ctus, si non invalidum nullumque est ipso  
Jure, non subsistere, seu firmiter persevera-  
re ac stabili, sed infirmari revocari ac  
rescindi debet: nisi vel ex natura sua, vel  
ex legi dispositione insolubile atque irre-  
vocabile sit, Azor p. 1. Instit. lib. 5. cap.  
16. q. 17. Laiman. Lib. 1. tract. 4. cap. 16.  
n. 4. & Streinius ad hanc Reg. n. 3.

2. Declaratur exemplis; sic enim Primo  
matrimonio aliter quam coram propriò  
parocho & duobus vel tribus testibus  
contractum, aut mortis vel alterius mai-  
gravioris comminatione extortum non  
subsistit, ipsóque Jure irritum est; quod  
clam aut vi contractum sit contra decre-  
tum irritans S. Synodi Trident. Seß. 24.  
cap. 1. V. Qui aliter, de Ref. matrim. c.  
Cum locum 14. c. Veniens 15. Sc. de Sponsa  
& matrim. Secundo invalida est aliena-  
tio rei Ecclesiae immobilis vel pretiosæ  
facta sine consensu Capituli, can. Sme ex-  
ceptione 12. q. 2. c. 1. c. Tua nuper Sc.  
de His, qua à fuit à Pralat. Sc. Tertiò,  
sponsalia falso commemorata nobilitatis  
intuitu vel gravissimi comminatione ob-  
tentia, licet Jure valida sint, nihilominus  
quod obtenta dolò vel coacta sint, stabili-  
tate carent valentque rescindi arg. c. Ab-  
bas 2. de His, qua vi metusve causâ Sc.  
eodemque modò validi quidem, sed res-  
cissioni obnoxii sunt contractus initi à  
clerico, lucrum quarente ex illicita ne-  
gotiatione; quod celebrati sint contra  
Juris prohibitionem, c. Secundum 6. Ne  
Clerici vel Monach. Sc.
3. Plura de actibus dolò obtentis Lib.

2. tit. 14. à n. 1. de extortis vi metive Lib.  
1. tit. 40. toto, de gestis contra Jus insfrā  
ad Reg. 64. in 6.

### REGVL A. VI.

In ipso causa Initio non est à  
Questionibus inchoandum.

### SUMMARIUM.

1. Variatio textus;
2. Et acceptio Questionis.
3. Sensus & ratio Regula.
4. Torturam reorum generaliter dabo  
nisi Vives:
5. Sed contra DD. torrentem & verita-  
tem,
6. Et reum de criminis plenè convictum  
subjicientium,
7. Et hoc non permittentium vera Op-  
tio.
8. Ad eam exigitur ut delictum grave,
9. Et persona à tortura non exempta  
sit:
10. Ut constet de corpore delitti,
11. Istinque indicatio gravatus sit, qui  
torquetur,
12. Et plenè convinci aliter non possit;
13. Ut servetur Ordo in pennis & reis,
14. Et bi serventur & illa inutiles non  
reddantur,
15. Panis judicis aliquem indebet tor-  
quentia.

**P**ro Questionibus hoc loco Questio-  
bus, id est, querelis seu lamentis,  
legendum existimat Gonzalez n.  
2. Apostolicum rescriptum, ex  
quo Regula hæc de prompta est, vindicans  
Gregorio M. seu I. non VII. ut ceteri  
plerique. Sed, ut nova hæc lectio erudita  
minimèque damnanda sit, dimittenda ta-  
men non

men non est vetus & communis, ut tex-  
tum Decretalibus inserentes Gregorii IX.  
verbis & mente retentâ, perutilem in Pra-  
xi Regulam non amittamus.

2. Qæstionis autem nomine aliquan-  
do veniunt ipsa Judicia publica; quod in  
iis, an reus nocens, vel innocens, quaer-  
atur, *i. Facturus 2. ff. de Orig. Juris* cuius  
§. 23. questores, qui capitalibus rebus  
præsident, à Populo constituti perhiben-  
tur. Frequentiori usu qæstio denotat  
Torturam, quæ ad eruendam veritatem in  
causis criminalibus adhibetur, *i. Inde Ne-  
ratius 23. §. 4. ff. ad L. Aquil. & l. Item  
apud 15. §. 41. ff. de Injuris:* & per defi-  
nitionem dicitur esse Interrogatio de cri-  
mine commissio per corporis tormenta, ad  
eruendam ipsius criminis veritatem, legi-  
timè à judice instituta, Panormit, *ad hanc  
Reg. no 2. & Haunold. Tom. 6. de f. & f.  
traff. 3. n. 355.*

Posteriorem hanc nominis significati-  
onem laudatus Papa securus est ex com-  
muni sententiâ Interpp. ac DD. hanc Ec-  
clesiastici Juris Regulam referentibum ad  
Impp. Augusti Constitutionem ab Ulpia-  
no relatam *i. pr. ff. & Rescripta Dio-  
cletiani & Maxim. i. Milites 8. §. 1. C. de  
Q. Q.* quibus accommodatus proposita  
Regulæ sensus est, *Judicium Criminale à  
rei tortura non est inchoandum.* Ratio  
est; quod, si hujusmodi judicium ac pro-  
cessus inchoaretur à qæstionibus seu tor-  
tura, huic sâpe subjicerentur innocentes,  
super quorum corio nequacquam lu-  
dendum, neque inurenda eis est macula  
indelebilis & nota civilis, quæ oritur ex  
tortura: & si doloris impatientiâ cri-  
men, quod non commifere, faterentur,  
vita ipsa adduceretur in discrimen.

4. Ratio hæc apud Lud. de Vives in  
*Lib. 19. cap. 6. S. Augustini de Civitate  
Dei* tantum potuit; ut torturæ etiam in  
causâ progressu locum contra DD. tor-

rentem inficiari non dubitaret. Quod  
insuper suader partim; quod ad veritatem  
eruendam insufficiente ac fallax medium  
esse videatur; cùm plerique patientiâ sive  
duritiâ ita tormenta contemnant; ut ex-  
primi his veritas nullô modô possit. Alio-  
tanâ sint impatientiâ, ut quodvis mentiri  
quâm tormenta pati velint; ut *i. 1. cit. §.  
23.* Ulpianus scribit: partim vero; quia  
non raro ex tortura grave damnum re-  
dundat in alios innocentes, quos à se per-  
petrati criminis socios, vel aliò modô reos  
torti mentiuntur, cùm; ut præsenti cor-  
poris afflictione liberentur: tum vero; ut  
pecuniarum habeant socios aut supplicium  
mitigetur.

Sed rationibus his singularem Op-  
tionem suam Vives non persuaderet; cùm  
tortura, si modus præscriptus observetur,  
non honesta duntaxat, sed omnino necessaria:  
& absque ea communî bono non satis  
consultum sit; quia, si eâ veritatem ex-  
primi posse, nefcirent facinorosi homines  
multo audacie & in scelera projectio-  
res forent; cùm haec perpetrata plenè  
probari saepe aliter non possint, quâm de-  
linquentis propriâ confessione: quæ sublatâ  
torturæ mediò vix unquam obtine-  
retur à nocentibus, amore vita & ex con-  
fessione imminentium suppliciorum ti-  
more in criminum negatione perfituri.

Neque contra torturam facit peri-  
culum; ne innocentes torqueantur aut de-  
nuntientur à nocentibus & similia incom-  
moda, cùm; quia haec merè per accidens:  
& si torturæ modus observetur, rarissi-  
mè eveniunt: Jus autem non aptatur ca-  
sibus, qui perraro, sed iis, qui frequenter &  
facile evenire solent, *i. Ex his 4. & l. Nam  
ad ea 5. ff. de LL.* tum vero; quia explo-  
rati & Naturalis Iuris dictamen est, ex  
duobus malis, cùm excludi utrumque non  
potest, eligendum id, quod minus est, *can.  
l. dist. 13. & can. Si aliquid, 22. q. 4. S.  
Thomas*

Thomas 1. 2. q. 19. art. 6. minus autem malum est, quod aliquando torqueantur, & ex suam confessione dammentur ac puniantur innocentes, quam audacia delinquendi & frequentia delictorum, quae sublatō tortura usū passim invalescerent & humanarum societatum perturbarent tranquillitatem, & everterent felicitatem.

Accedit; quod, sicut à reis quæstionibus subiectis aliquando denuntiari innocentes, sic à testibus quandoque deponi falso, & hujusmodi testimonis convictos innocentes damnari ac puniri contingat exemplò Naboth, ab Achab ex falsis testimoniosis lapidati 3. Reg. cap. 21. V. 13. nemo tamen DD. sit, qui probatio nem per testes à judiciis Criminalibus removendam somniārit.

6. Vivis, jam confutato oppositus & non minor error ac praxis est aliorum, ultimè suppliciō affici posse negantium eum, qui crimen non est confessus; ideoque, etiam, cùm mille testibus convictus est, ejus confessionem per torturam exprimendam, afferentium. Cui errori suo patrocinium desumunt ex Constitutione Pœnali Caroli V. cuius art. 16. Imperator in notoriis & evidentiis delictis, reum, si ea negare velit, vi tormentorum ad confessionem adigendum, afferit. Verum, quia reum in criminis inficiacione persistentem, si legitimis probationibus convictus sit, absque ulla tortura commandandum ejusdem Constitutionis art.
7. 69. in terminis statuitur; ne Imperator Antinomia arguatur, art. 16. cit. exaudiendus est de casu, quod delictum non pœnē, sed ejus solummodo materiale, non etiam formale sive, quod notorium quidem est rei factum externum; dubium autem est, an id dolosè & malitiosè positum sit; reō enim hoc negante, veritatem tormentis exprimendam facile conceditur; quod

delictum verè notorium non sit, Hau nold. cit. tract. 3. n. 362.

Quare cum illo recedendum non est à sententia Clari §. fin. q. 64. n. 5. Co varruvia Prædic. cap. 23. n. 5. Damhuderii Prax. rer. Criminal. cap. 35. a. n. I. & aliorum, reum plenè convictum, insuper habitâ ejus inficiacione, condemnari posse, meritè statuentium; quod alioquin in cuiusvis potestate fore, à mortis pœna se eximere persilendo in tormentis, magnè detrimento Reipublicæ, cuius interest, maleficia non manere impunita, c. Ut fama 35. de Sent. excom. & l. Ita vulneratus 51. §. 2. V. Quod si quis, ff. ad L. Aquil.

Ne autem ad eruendam veritatem & iustitiae rectam administrationem publicè utilissimum & saepè omnino necessarium torura remedium in abusum transseat & crudelitatem, ad illud à rerum Criminalium peritis & DD. requiritur. Primo; ut causa non sit mere Civilis, sed annexum habeat crimen, sicut saepè habent mercatorum, ut vocant, Fallitorum & Bancarottorum: & crimen sit atrox & capitale, l. Edictum 8. ff. de Q. Q. cui imponenda veniat mortis vel alia pœna corporis afflictiva, quæ in communi hominum existimatione gravior sit relegatione vel incarceratione solùm temporanea, multumque excedat ipsam torturam. Ratio est; quia non graviori pœnâ procedendum est contra reum non convictum, quam infligenda esset ejus convicti condemnatione; quid enim prodesset reo per tormentorum patientiam se purgâste, si tantumdem passus est in tormentis, quantum subitius fuisset, si legitimè convictus, aut crimen spontè confessus fuisset.

Secundò; ut rei persona à tortura non sit exempta; sicut Juris privilegiō exempti sunt impuberes, l. De minore 10. pt. ff. de Q. Q. furiosi & amentes tempore furoris

- furoris & amentiae actualis: senes viribus ita imbecilles; ut tormenta sine periculo sustinere, aut memoriam ita debili; ut rei à se vel alio gesta verisimiliter non meminerint. *I. Si quis* 3. §. 7. *ff. ad S. C. Syllan.* valetudinarii, quibus tortura mortem aut irreparabilem damnum in valeridine allatura timeret *arg. §. cit.* fomina prægnans, *I. Pugnatio* 3. *ff. de Panis,* personæ illustres & præstantes nobilitate vel militia clari, *I. Editum cit. I. Milites* 8. *pr. & I. Duo* 11. *C. de Q. Q.*
- I. 10.** Tertiò; ut constet de corpore delicti, vg. verè occisum hominem, cuius necis insinulatur, qui torturæ est subjicendus, *I. I. §. 24. ff. ad S. C. cit. & Constitutio penalis Carolin. Art. 6.* cum de eo constare necess sit, antequam procedatur ad inquisitionem quoad personam specialem, Farinac. *Prax. Criminal.* q. 2. n. 6.
- II. 11.** Quartò; ut præcedant quædam criminis indicia & argumenta, quibus reus prudenter suspectus judicii reddatur, *I. Unius* 18. §. 2. & *I. fin. ff. de Q. Q.* Ratio est; quia, si nullis indiciis gravatus torturi posset, Criminale judicium à quaestione inchoare licet, contra Reg. propositam & Constitutiones Imperiales Augusti & Hadriani *I. pr. & §. 1. ff. de Q. Q.*
- II. 12.** Quintò; ut delictum alter nequeat plenè probari; quia tortura, tanquam veritatis investigandæ medium, introducta est in subdictione aliarum probationum deficientium, *I. Divisa Pius* 9. *pr. ff. de Q. Q.*
- III. 13.** Sexto; ut tortura procedatur gradatim, & judex reum ad veritatis confessionem inducere primò conetur verbis adhortatoriis: dein torturae comminatio ne eum interroget: & si ista quoque non proficiat, tum demum ad torturam actualem procedat; quia ratio Naturalis dicit, mitiora remedia prius tentanda, quam ad severiora deveniatur.
- Septimò; ut, cum ejusdem delicti plu-
- res sunt complices, is primò torqueatur, qui indiciis ac præsumptionibus præ ceteris est gravatus ac suspectus, constitutus Carol. Art. 46. &c. si æquè gravati ac suspecti omnes sunt, is à quo criminis confessio & veritas facilius obtinenda judicatur, *I. cit. §. 12.*
- Oblavò; ut reus servetur illæsus & *I. 14.* non inutiliter reddatur: ex quâ cauare eos aliquando ultra tempus, quâ Pater & Ave vel Psalmus Misereere recitari potest; & in quocunque etiam enormissimo crimen ultra horam torqueri, & horæ plus quam ejus quadrantem addi non facilè posse & confueuisse tenuis est *cit. Farin. q. 38. n. 54.* quocum haec tenus deducta aliqua torturam spectantia plenâ manu dabunt Clarus *cit. q. 64.* Gomez *Tom. 3. Var. cap. 13. 1016.* Haunold. *Tract. 3. cu. à n. 355.* & ante hunc Carpzovius *Practic. Crimin. p. 3. à q. 117.*
- Porro judicem, ad rei torturam contra Jus procedentem, gravissimè delinquare, & indebitè torto ad injuria & omnibus danni resarcitionem teneri, res est omnino explorata. Quodsi aliquem dolosè & sine sufficientibus indiciis, itaque torqueat, ut moriatur, homicidii perpetrati reus habetur *I. I. §. 1. & I. Leg. 4. pr. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* Clarus *q. 64. cit. pr.*
- Si citra mortem & lassionem reum Jure exemptum, vel non exemptum sine præviis indiciis, vel cum excessu, vel non servato ordine torquerit, à torto conveniri potest actione injuriarum, *I. Nec magistratus* 32. *ff. de Injuria:* quam non annuam, sed perpetuam esse, cum Manzio tradit. Haunold. *Tract. cit. n. 464.* quod, cum actionem perpetuam habeat verberatus & pulsatus, multò magis ea competere debeat injustè torto. Eadem actionem legis Aquiliae utilem competere DD. desumunt ex *I. Liber* 13. *pr. ff. ad L. Aquil.* ad recu-

Z z z

ad recu-

ad recuperandos sumptus & lucrum cef-  
fans ob torturam. Ultra satisfactionem,  
indebet torto præstandam, judicem à fu-  
periore pro excessu qualitate puniendum,  
patet ex cit. Constitut. Carol. Art. 61.

## REGVL A VII.

*Quidquid in Sacratis DEO re-  
bus & Episcopis injustè agitur, Sacri-  
legium reputatur; quia Sacra  
sunt, & à quoquam violari  
non debent.*

## SUMMARIUM.

1. Regule sensus & definitio Sacrilegij:
2. Quod committitur persona DEO di-  
cate,
3. Loci Sacri aut Religiosi,
4. Et rei Ecclesiasticae cuiusvis viola-  
tione.

1. **R**egula hæc explicatiū traditū  
*can. Nulli, 12. q. 2.* eoque &  
sequentibus textibus enumera-  
rantur varia exempla Sacrile-  
gii: cuius generatim sumpti à S. Thoma  
2.2. q. 99. art. 1. & p. tradita & à caté-  
ris DD. recepta definitio & præsentis Re-  
gulae sensus est, *Sacrilegium est rei DEO  
sacra violatio seu lesio.* in qua  
2. Rei Deo sacra nomine veniunt Pri-  
mò persona per sacram Ordinationem, ut  
clericī: vel, ut sexū utriusq; Religiosi, per  
Religionis solemnia aut simplicia Pauper-  
tatis, Castitatis & Obedientiæ vota, in Re-  
ligione à fede Apostolica approbata edi-  
ta, Divino cultui mancipata, aut, ut No-  
vitii, mancipanda: in quas Sacrilegium  
committitur violentā & injuriosa manis  
injectione, *can. Si quis suadente, 17. q. 4.  
tit. 30. à n. 72.* explicato; per trahitione ad  
forū Seculare & Secularis jurisdictionis in

eas usurpatione, *can. Si quis 45. can. Si  
quid clero, 46. Sc. 11. q. 1. c. Nullus 2.  
c. Si diligenter 12. de Foro compet. Sc. de  
qua Lib. 2. tit. 2. art. 10. vestigialum &  
tributorum impositione, exactio neque, c.  
Non minus 4. c. Adversus 7. de Immunit.  
c. 1. c. Clericis 3. ibidem in 6. Sc. de qua  
Lib. 3. tit. 49. à n. 186. est actum: fornicati-  
onē, aliave turpitudine in corpore exer-  
citā, *can. Virginibus, 27. q. 1. S. Thomas  
cit. art. 3. ad 3. & Palao Tract. 17. disp.  
2. p. 3. §. 1. n. 2.* Vide dicta supra Tit.  
16. à num. 66.*

Secundū loca Sacra: ut sunt Ecclesiæ,  
Sacella, Oratoria &c. ad peragendum SS.  
Missa sacrificium, Sacramenta ministran-  
da & obeunda officia Divina per conse-  
crationem, benedictionem aut his prævi-  
am deputationem Ecclesiasticam ordina-  
ta, *c. Cū Ecclesia g. c. Ecclesia g. de Im-  
munit. Eccles. Sc.* Quibus accedunt  
Monasteria, aliæque domus Regulares,  
Hospitalia & cætera loca Religiosa, hoc  
est, ad Religionis, Pietatis & Misericor-  
dia opera exercenda Episcopali aliave au-  
thoritate Ecclesiasticâ erecta & deputata,  
*c. Ad bac 4. de Relig. domib. Sc.* in qua  
Sacrilegium constituitur reorum ad ea  
confinguentium extraētione aliave eorum  
Immunitatis violatione, *can. Frater 9.  
can. Si quis 20. juncō §. Sacrilegium, can.  
Quisquis, 21. Sc. q. 4. cit.* per tradita  
*Lib. 3. tit. 49. à n. 174. Ecclesiæ pollutione,  
Lib. 3. tit. 40. à n. 31.* explicatā, exercitiō  
jurisdictionis secularis contentiose, nun-  
dinarum & mercatū in iis celebrationē,  
prophanarum comœdiarum in iis exhibi-  
tione &c. ut dictum cit. Tit. 49. à n. 2.  
Violentā effractione, incendiō, despolia-  
tione &c. de quibus actuum supra Tit. 17.  
à num. 40.

Tertiū, res Deo sacratæ: quarum tria 4  
genera sunt. Primum constituent Sa-  
cramenta, quorum indigna tractatione  
Sacrile-

Sacrilegium committi, res est omnino explorata. Secundum complectitur vasa & quaecunque Ecclesia suppelletilem, interveniente consecratione vel benedictione ad DEI cultum ordinatam: quæ, cum Divino cultui deserviat, ejus indigna tractatio cedit in injuriam Dei & contra omne dubium sacrilegum est. Eadem ratio est sacrarum Reliquiarum, imaginum Dei & Sanctorum: si, quatenus familiares & peculiares amici Dei sunt, irreverenter habeantur. Iesu Lib. 2. de J. & f. cap. 45. n. 17. & Suarez Tract. 3. de Relig. lib. 3. cap. 6. Ad tertium genus pertinent res seu bona temporalia mobilia & immobilia juraque Ecclesiarum, Monasteriorum, aliorumque sacrorum & Religiosorum locorum: quorum etiam defraudatione, iustâ invasio, occupatione, ablatione, usurpatione Sacrilegiū committi, liquet ex can. Sunt qui 3. can. Sacrilegium q. can. Omnes 5. Et. q. 4. cit. Ratio est: quia etiam hujusmodi res aliquo modo sacræ & ad Dei cultum ordinatae sunt, quatenus ad Ecclesiam fabricam conservandam reparandamque, ad paranda, quæ ad Sacrificia & divina Officia ritè peragenda necessaria sunt, ad sularia & sustentationem Ecclesiarum ministrorum sunt destinata. S. Thomas cit. art. 3. citr. Lessius n. 18. & Palao n. 9.

## REGVL A VIII.

*Qui ex Timore præceptum facit, aliter quam debet, facit; & ideo jam non facit.*

## SUMMARIUM.

1. *Regula difficultas.*
2. *Præceptum timore Filiali, Servili vel Mundano,*
3. *Et quo ad substantiam tantum implevi potest.*

4. *Conciliatio Regula cum Fidei doctrina,*
5. *Et verus ejus sensus.*

**R**egula huic in speciem adversatur S. Synodus Trident. *Seff. 6. cap. 6.* gehennæ timorem ad impij justificationem concurrens, afferens magisteriō Veteris & Evangelicae legis; cum *Initium sapientie timor Domini sit*, Ecclesiastici *cap. 1. v. 16.* & ad præceptorum suorum obseruantiam eō nos moveri Deus voluerit in Moysa, *Quid dominus Deus tuus petit à te, nisi ut times Dominum Deum tuum, & ambules in viu ejus, Deuteron. cap. 10. v. 12.* & Nova seu Gratia Lege, *Timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam, Luca cap. 12. V. 28.*

Ad revera nec Divina Oracula nec definitio Synodalis Regula huic adversatur: ut planè constabit, si discrimen statutatur,

Imprimis cum D. Thoma 2.2. q. 19. art. 2. Suarez de Virtut. Theolog. Tract. 2. disp. 1. f. 4. à pr. & Laiman Lib. 5. trah. 6. cap. 1. n. 10. inter triplicem Timorem Filialem, Servilem & Mundanum: quorum primò seu Filiali præceptum implens & à peccato abstinentis, sicut bonus filius patris, sic ipse Dei, summi & infiniti Boni offendam vèretur: qui timor fundatur in Charitate, cuius est actus. Alterò & Servili timore ductus id præstat; quod præcepti violatio & peccatum penitè à Deo infligendā aferat reatum: qui timor, licet, cum rationem causa, solum impulsiva habet, honestus & laude dignus sit, secundum V. 16. 12. & 28. & cap. 6. cit. cùm sit actus Spei Theologicae, quæ & honorum à Deo provenientium consecrationem & malorum ab eo infligendorum aversionem speramus: malus tamen esse potest, estque, si penarum infernali-

Z 22 2

lum me-

Ium metus impletionis præcepti & fugæ peccati motivum finale sit ac principale: ut, si infernus non esset, peccandi voluntatem quis haberet. Postremo seu Mundano timore coactus ad legis impletionem movetur & à transgressione abstrahitur solō metu pœna ab hominibus infligendæ. ut Laiam cit. n. 10. vel, ut arr. cit. S. Thomas vult, metu amitendi bona mundi, opes, famam, vitam &c.

3. Deinde inter præcepti impletionem quoad substantiam duntaxat, & cum merito apud Deum: quarum priori res præcepta præcisè actu humano seu voluntario & liberò, etiam malò, ponitur: posteriori vero ponitur peractum humanum moraliter bonum & virtuosum, Deoque placentem & meritorium. Unde

4. Expedita est conciliatio propositæ Regulae cum lege Divina & definitione Synodali; cùm ille de timore Humano aut merè Servili, habente rationem causa finalis ac principalis, & de impletione præcepti quoad nudam actus substantiam: Tridentinum autem & S. Scripturæ textus de timore Servili, habente rationem causa solū impulsiva, aut Filiali: & de impletione præcepti cum merito sint exaudiendi. Quare

5. Regule sensus verus est, *Qui adum præceptum facit ex timore mundo, aut merè servili ita constituto; ut pœnam metus impletionis præcepti non sit causa solū impulsiva, sed finalia, conjuncta cum voluntate peccandi, si infernus non effet, id aliter, quam debet, facit.* Ratio est; quia id cum peccato, & sine ullo apud Deum merito facit. Idem ferè statui potest de intentione; cùm, qui rem præceptam vg. auditionem Missæ exequitur malâ intentione, id aliter, quam debet faciat; quia id facit cum peccato & sine merito apud Deum. Unde hi tales à S. Augustino, præceptum non facere, dicunt.

tur; quòd, id merè serviliter aut cum mala intentione facientes; perinde quoad meritum habeantur, ut id non facientes.

### REGULA IX.

*Defeat peccator; quia offendens in Uno factus est Omnium reus.*

### S U M M A R I U M.

1. Difficultas Regulae,
2. Refringenda ad effectus peccati negativos.
3. Verus ejusdem sensus,
4. Et interpretatio altera,
5. Dogmate Apostolico confirmantur.

**D**ifficilis hæc Regula primò cursu apparet; cùm blasphemie non semper perire, nec raptiores, homicidae, aut fures, adulteri semper sint: & blasphemie, perjurii, rapinæ, homicidii, furti & adulterii peccata non specie duntaxat, sed genere, sive ut Philofophi loquuntur, non solò numerò, sed specie differre: eorumque unum alterò, plura unq̄ graviora esse, majorēque pœnam promereri, inficias ire aut vocare in dubium, Orthodoxorum nemo ausit. Quô ergo Jure aut ratione omnium pronuntiantur reus, qui unicum petravit?

Argumenti istius vim ut enervarent, 2. Interpretes Regulae & Apostolicae sententiae expositiones varias excogitarunt. Mihi præ aliis satisfaciunt, qui eam restringunt ad effectus peccati negativos, ut sunt privatio amicitiae Dei, gratiaque sanctificantis & virtutum infilarum, justitia meritorum & præmii vita æternæ jurisque ad ea: non de ipsa peccatoris conver-

conversione ad creaturam sive objectum illicitum; cum ad unum se convertere ab alio abhorre & averti possit; neque de gravitate malitia peccati & offendae Divina; cum utique peccatum unum gravius altero sit, Deus non omnibus aequaliter, sed uno magis quam altero, magisque pluribus quam uno offendatur; neque etiam de pena sensis; quia quod ad hanc ingens tantaque differentia est, quanta est ipsorum peccatorum.

**3.** Quare sensus Regulae est, *Peccatum mortale unum committens amittit gratiaque divinâ meriti ac premio cœlesti, omniq[ue] ad ea jure excidit perinde, ut qui omnia peccata commisi.* Ratio est; quia gratia meritum & huic respondens cœlesti præmium totum, omnique ad ea ius quovis peccato mortali amittitur, Lyranus in S. Jacobi Epist. cap. 2. & cum D. Thoma 2.2. q. 72. art. 1. Glossa, Vivianus & Wagnereck ad Reg. cit.

**4.** Non displicet etiam interpretatio a liorum, in uno offendentem omnium re um afferentem; quod, qui insuper ha bita Dei legislatoris autoritate unam ei us legem transgreditur, ceteras non ser vert formaliter, hoc est, spectatâ ratio ne movente ad legis observantiam; quod nimur sit præceptum legislatoris Dei; sed materialiter duntaxat, & ideo so lüm; quia ita lubet: quod modò cum transgressione unius legis authoritas Dei, qui omnium conditor est, tota contemnatur, unius transgressor dicunt omnium reus saltē in actu primō, ob insuper habitam authoritatem, à qua omnes pendent. Confirmatur hic Regula intel lectus paritate cum eo, qui unicū articulū Fidei sufficienter propositum negat; talis enim nec ceteros credit fide divinā, si ve, quia eos Deus summè verax revelavit: sed solummodo humanā, sive, quia ipsi ita videtur; quia unum negandō mo-

tivum formale fidei Divinæ, propter quod omnes credendi sunt, scilicet; quod Deus summè verax eos revelavit, jam con tempsit.

Pro posteriori hac, imò & pro priori Regula expositione facit; quod ad mentem accedant Apostoli cap. 2. cit. damnantis errorem Pharisaorum, unius & alterius præcepti transgressione Deum non offendit, afferentium; nisi seu tota vel major ejus pars contemnatur; eisque ad eximendum hunc errorem dogmatis instar opponentis, quod Offendens in una factu sit omnium reus; quod secundum priorem charitatem, gratiam, meritum ac premio cœlesti excidat, eandemque danni peccatum, quam omnium transgres sor, incurrat: vel secundum posteriorem expositionem per unius præcepti divini transgressionem authoritas Dei legis lativa tota contemnatur; ut istius trans gressor, sublatō legalis observantiae motivo, ad omnium transgressionem jam sit expeditus.

### REGULA X.

*Non potest esse justa Pastoris excusatio, si lupus Oves comedit, & Pastor nescit.*

### S U M M A R I U M.

1. *Regula verborum significatio:*
2. *Eius sensu ratione,*
3. *Et gravitas munericis Pastoraliis.*

**R**egulae istius verba non propriam, sed metaphoricam habent significationem; cum in ea Pastoris nomine Prælatus & alii, quibus animarum cura ex officio imminet: nominibus Ovium & Lupi illo rum cu-

Zzz;

xrum cu-

rum curæ commissi fideles vel diabolus  
caterique animarum seductores intelli-  
gantur. Unde

2. Ad verba propria redactæ Regula  
fensus est, *Pralatus & quibus curatus, fi-  
delibus subditis, ab Orthodoxa fidei veri-  
tate in errores, à via virtutis & semita  
salutis in viciorū ac perditionis avia,  
seductorū fraude, abductis & eternū  
perirentibus, quò minus interitus ipsi im-  
puretur, non excusat prætextu ignoran-  
tie, sive quòd illo in salutis dīcrimine  
versari, nesciverit: Nisi eorum gesserit  
curam & labantes confirmandi atque ea-  
rigendi studiò in vitam morēsque diligen-  
ti investigatione inquisiverit. Ratio est;  
quia hæc omittentis ignorantia culpabilis  
& crassa est; cùm si ejus, cuius noti-  
tiā habere ex officio debebat & facile  
poterat: cuiusmodi ignorantia scientiæ  
comparatur, c. fin. de Constitut. in 6.  
cùm ea, quæ ex officio indagare quis te-  
netur, scire & scire debere facilèque pos-  
se, paria reputentur, can. fin. dīct. 37.  
c. fin. §. Si quis, de Clandest. despōns. & l.  
*Julianus 19. ff. ad SC. Maced.**

3. Vigilare ergo Prælatum & quem-  
vis animarum pastorem, & non sibi tan-  
tum, sed universo gregi attendere, oportet;  
ne, si ipsius oves in errores, in sce-  
lera & interitum ruant, miserè pereun-  
tium animas de manibus ipsius Deus re-  
quirat. Continuè sonet in auribus ejus  
Divina vox, Ego vigilans, confirma ce-  
tera, que moritura, erant, Apocalyp.  
cap. 2. v. 3. Non vidi, Ignoravi, pu-  
denda excusat est ejus, cui, ut videat  
& custodiat, ut dirigat corrigatque, ut  
errantes in viam Justitiae reducat & ad sa-  
lutis portum perducat, ex officio incum-  
bit: sicut incumbit Pastori animarum,  
cujus tot, tantaèque obligationes sunt; ut,  
qui sine pastoralis obligatione earum par-  
tem tertiam rite implieret, Sanctis merea-

tur connumerari; cùm tamen animarum  
pastor, unâ non impletâ, gehennæ reus  
fiat. Avilæ hæc, magni quondam spi-  
ritualis vita Magistri sententia est, non  
aliena à mente S. Joan. Chryſostomi in  
*Acta Apostol.* non veriti dicere, non mul-  
tos Episcopos salvari; quid difficillimum  
sit, tot animarum sibi concreditarum red-  
dere rationem.

### REGULA XI.

*Indignum est & ab Ecclesia Ro-  
mana Consuetudine alienum, ut pro  
Spiritualibus facere quis Homae-  
gium compellatur.*

### S U M M A R I U M.

1. *Regula difficultas.*
2. *Homagium latè & strictè sumi po-  
test.*
3. *Regula de strictè sumpto procedit.*

**P**ugnare cum hac Regula videtur I.,  
decisio c. *Gravem 15. de Excess.*  
Pral. quā, dum Homagio datæ  
fidei violatio in clericō benefici-  
to punitur, ejus præstatio non obscurè  
approbari videtur. At videtur tantum:  
non re ipsa pugnat; cùm inter Homagia  
discrimen intercedat: aliisque sensu c. cit.  
ab Honorio III. aliò præsentī Regula à  
Lucio III. accipiuntur.

Homagii enim nomen bifarium: & 2.  
aliquando quidem latè sumitur pro jura-  
mento Fidelitatis & Obedientiæ, à cle-  
ricis post dignitatis vel beneficii Ecclesi-  
sticæ receptionem præstari solitè Episco-  
pis, quibus tanquam propriis Prælatis, su-  
perioribus ac patribus spiritualibus fide-  
litas, obedientia & reverentia specialiter  
debetur pro cura & sollicitudine Pastro-  
rali, c.

rali, c. Nullus §. de Jurejurando, & violata vindicatur c. Gravem cit. Aliquando verò strictè: quô modō sumptu Homagii nomine venit juramentum, quô alicui tanquam territorii domino spondetur subiectio; ut, qui jurat, ei, cui jurat, tanquam vasallus & quasi homo ipsius obligetur ad certas operas & obsequia temporalia; Homagium enim sic dicitur quasi hominis ligium sit; cum eum ligeret & obligaret illi, cui præstatur, Glossa in Clement. 2. de Re judic. ubi Panormit. n. 6. Speculat. Tit. de Feudis. §. 2. n. 4. & Suarez Lib. 1. de Juramento. cap. 13. n. 34. 3.

Planus nunc & c. Gravem cit. decisioni minimè contrarius Regulae sensus est, A clericio pro beneficio, istius collatione, nominatione presentatione exigi homagium propriè dictum; itaque beneficium ejusque collatio &c. commodò & obligatione temporali compensari non potest; quid utique indignum, à Romane Ecclesia conjectudine & sacrarum rerum conditione alienum ac Simoniacum sit, pro spirituali etive annexo, ut beneficium Ecclesiasticum de eoque provisio sunt, temporale sive munus ab obsequio, cuius rationem ea obligatio habet, exhiberi. Quæ ratio cum hujusmodi Homagium à collatoribus ac patronis, tam Ecclesiasticis quam Secularibus, exigi non posse, evincat, meritò, sicut his, c. Cum essent 12. sic illis præstitum, c. Ex diligenti 17. de Simonia reprobatur: quamvis Praælatis jurisdictionem in certi territorii clerorum ac populum obtinentibus à clericis beneficia recipientibus præstari valeat Homagium minus propriè dictum, quod illis reverentia, obedientia, & fidelitas, iuramento mediante, promittatur, c. Gravem cit. c. Nullus §. de Jurejurando.

Neque huic Regulae sensui & cum c. Gravem cit. conciliacioni adveratur: quod in sua consecratione Episcopi Papæ

inter cetera jurati promittant, se legatos Apostolicos honorificè tractaturos, & in suis necessitatibus adjuturos, c. Ego N. 4. de Jurejurando: que temporalium exhibitione implentur; quia, cum ad hæc legatis Papæ exhibenda Ecclesiarum Praælati Jure obligati sint, ea solùm Episcopi promittunt, quæ aliunde debita & Jure insunt: ea autem, quæ sic insunt, in juramento exprimi à recipiente spirituallia sine labore Simonia posunt, c. Significasti 4. de Elef. ubi Glossa V. Conditio ne, Barbolæ n. 2. & alii relati supra Tit. 3. n. 27.

### ARTICULUS III.

## De Regulis Juris Libri Decretalium VI.

### REGULA I.

*Beneficium Ecclesiasticum non potest licetè sine Canonica Institu tione obtineri,*

### S U M M A R I U M .

1. Quid beneficij Ecclesiastici?
2. Quid Institutionis,
3. Et Canonicæ nomine intelligatur.
4. Sensus Regule, bujuamodi institutio nem exigentis,
5. Et alios beneficia acquirendi modos,
6. Atque ipsam etiam præscriptionem excludentis.
7. Verius clericio ista.
8. Et communis error circa institu tem suffragatur.

B Enficium Ecclesiasticum hic sumitur propriè pro Perpetuo jure percipiendi fructus seu redditus temporales, ratione officii spiritua-

I.